

dentur, vel vana spe aliqua, aut fallaci persuasione parvi penduntur. Irrepunt proditores, qui statum rerum et secreta pandant hostibus. Inter proceres odia suscitantur et inimicitia privata, quibus ut indulgeant, alter alterius conatus et successus etiam cum damno publico studet impedire; ararium impensis parum necessariis absumitur; nascuntur seditiones militares, quibus posteaquam provincia est vastata, et vires hostiles adauctae, infinita vis pecuniae, qua bellum geri poterat, est profundenda, ut damna inferre desinant. Denique, dum omnes suis student commodis, nec cuiquam bonum publicum est cordi, omnia ad extremam vergunt perniciem.

His itaque perspectis, auditores, amemus virtutes illas, quae angelis affines, eosdem nobis conciliant, fugiamus vero peccata, quibus infestantur, offenduntur, et ad iram provocantur; ut ita non solum eos habeamus amicos in terris, sed cohaereditas etiam in caelis.

CONCIO V.

QUID DEBEAMUS ANGELIS CUSTODIBUS.

I. Honorem. — II. Timorem. — III. Amorem. — IV. Familiaritatem. — V. Obedientiam. — VI. Imitationem.

THEMA.

Angeli eorum semper vident faciem Patris mei.
Matth. XVIII.

In libro Tobiae, cap. XII. legimus, Tobiam patrem filio pecunia et oculis sibi restitutis, filium accersisse et cum eo deliberasse, quid rependere deberent viro (qui erat Raphael angelus), a quo haec beneficia obtinuissent: *Quid possumus dare viro isti sancto? aut pater. Cui filius: Pater quam mercedem dabimus ei, aut quid dignum poterit esse ejus beneficiis?* Quibus ordine commemoratis subdit rursum: *Quid illi ad haec poterimus dignum dare?* Et vocantes eum pater scilicet et filius tulerunt eum in partem, et rogare coeperunt ut dignaretur dimidiam partem omnium, quae attulerant, acceptam habere.

Docent nos, auditores, optimus ille pater optimus et filius, quid nos tutoribus nostri angelis debeamus. Nemo enim nostrum est qui non habeat suum Raphaellem toto vitae suae itinere comitem, custodem, ductorem, medicum, defensorem. Interrogo igitur vos, filii in Christo: *Quid possumus dare angelis istis sanctis pro tantis beneficiis, per tot annos in nos collatis?*

I. Honorandi sunt. Et primo, quia natura nobi-

lissimi, et quasi alicui Dei, respectu quorum nos stabularii et mancipia tantum sumus. Jam si servi Assuari flectebant genua Amani, quia primus erat in aula regis; quanto magis veneramur angelos, qui sunt alicui Dei et tantum nos excedunt ut vel infirmus angelus nobilior sit quam tota humana natura.

Secundo, quia Dei legati, ad nos destinati, Dei personam representant. Unde ait Dominus Moysi, Exod. XXIII. de angelo ductore exercitus Israelitici: *Nec contemnendum putes, quia non dimittet cum peccaveris, et est nomen meum in illo*, quasi diceret: Angelus hic personam, auctoritatem, et voluntatem meam representat.

Tertio, quia sunt pedagogi et magistri nostri. Quod si parentibus nostris plurimum debemus, quia dant nobis bene vivere; plus certe adhuc magistris nostris, quia dant nobis bene vivere. Sic honoravit Josue angelum, quando ante eum corruens in terram pronus, dixit: *Quid Dominus meus loquitur ad servum suum?* Jos. V. sic honorabat Raphaellem suum Tobias junior, quando vocavit eum Dominum suum, Tob. VI. *Dominus invadit me*: sic sacerdos ille de societate Jesu, qui, ut refert Crombecius, de studio perfectionis, lib. II. cap. II. angelo suo custodi eam reverentiam deferebat, ut quotiescumque portam aliquam ingrederetur angelo tutelari primas in ingressu relinqueret. Nec vane; siquidem die quodam, dum singulari studio locum eidem cederet, visibilis angelus transiit, et gratum sibi esse hujusmodi obsequium declaravit.

II. Timendi sunt. Primo, quia natura potentes sunt, et adeo quidem ut unum angelum legamus una nocte occidisse centum et octoginta quinque millia virorum, IV. Reg. XIX. imo unicus angelus spectata sua natura posset interimere omnes homines.

Secundo, quia potestatem a Deo habent puniendi peccata nostra. Unde de eo dicitur ad Moysen: *Nec contemnendum putes* (Hebr. nec eum ad amaritudinem provocas), *quia non dimittet cum peccaveris, et est nomen meum in illo*.

Tertio, quia omnia nostra acta videt, notat et Deo omnia perse videnti representat tamquam testis vita nostra. Hinc apostolus, I. Cor. XI. praecipit ut mulieres habeant potestatem, id est, velamen super caput suum propter angelos; quia scilicet angeli testes sunt pudoris et impudentiae. Hinc S. Bernardus, serm. XI. in Psalm. *Qui habitat*, ait: *« Caute ambula ut scilicet cui adsunt angeli (sicut eis mandatum est), in omnibus viis tuis, in quovis diversorio, in quovis angulo angelo tuo reverentiam habe; tunc audeas illo praesente, quod vidente me non audeas? »* Sic faciebat ab-

bas in vitis patrum, lib. VII. c. LXIV. qui rogatus quoniam ejus esset quotidiana exercitatio, respondit: *« Ego angelum meum mihi assistentem juxta me expecto, et custodio memetipsum, quod scriptum est, reminiscens: Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam a dextris est mihi ne commovear. Timeo ergo eum ut custodientem vias meas, et quotidie ascendentem ad Deum et insinuantem actus meos et verba. »*

III. Amandi sunt, primo, quia sunt concives nostri et cohaereditas regni Christi, ad quorum choros electi transferentur.

Secundo, quia sunt ministri nostri, seu, ut loquitur apostolus ad Hebraeos. I. *Administratoris spiritus*, perpetuo de nobis solliciti, et circa nos occupati. Unde S. Bernardus, sermon. II. in vigil. nativitat. Domini, ait: *« Quantum putatis desiderant cives celestes instaurari civitatis suae ruinas? Quomodo discurrunt medii inter nos et Deum, fidelissime portantes ad eum gemitus nostros et ipsius nobis gratiam devotissime reportantes? Plane non dedignabuntur ut simus eorum socii, quorum facti sunt jam ministri. Sic Bernardus. Si est tibi servus fidelis, sit tibi quasi anima tua, ait Eccles. cap. II. Deinde, omnia nostra opera bona mox cum laude, congratulatione, et ostentatione representat Deo et sanctis: unde Tob. XII. *Quando derelinquebas prandium tuum et mortuos abscondebas per diem in domo tua et nocte sepeliebas eos, inquit Raphael, ego obtuli orationem tuam Domino. Denique, animas nostras ad caelum evehunt.**

Tertio, quia ipsi amant hos, quos a Christo sic amatos esse vident: unde S. Bernardus, serm. I. in festum Sancti Michaelis ait: *« Ipsi amant nos, quia nos Christus amavit. Dicitur certe vulgari quodam proverbio: Qui me amat et canem meum. Nos vero o beati angeli, catelli sumus Domini illius quem tanto affectu diligitis, etc. »*

IV. Familiares habendi et faciendi sunt. Primo, ut ipsos in necessitatibus nostris omnibus familiariter invocemus, et ad eos velut ad parentes nostros cum fiducia recurramus. Sic etiam faciebat Petrus Faber e primis Sancti Ignatii sociis unus, qui in omnibus urbibus et ecclesiis, quas intrabat, salutabat angelos tutelares locorum eosque pro salute incolarum solebat invocare, histor. societ. Jesu, tom. I. lib. I. num. XXIX. Ita monet Sanctus Bernardus, serm. XII. in Psal. *Qui habitat*: *« Habetote familiares angelos fratres mei, frequentate eos sedule cogitatione et devota oratione qui semper vobis adsunt ad custodiam et consolationem: »* et alibi: *« Ut amplioem de caetero erga beatos angelos habeatis fiduciam, familiariter in omni necessitate ves-*

tra eorum invocetis auxilium. » Ergo quoties intentione et periculo versaris, clama ad eum cum Tobia: *Domine invadit me, Tob. VI.*

Secundo, ut ne in conspectu eorum indecens et indignum quid committamus, adeoque ipsos peccatis nostris fugemus. *« Quemadmodum enim apes, ait Sanctus Basilius, conc. IX. in Psalm. XXXIII. fugat fumus et columbas graveolentia expellit: sic custodem vitae nostrae angelum lacrymosum et graveolens abigit peccatum. »* Sanctus Bernardus, serm. I. de S. Michaelis ait: *« Quod si tam necessariam habemus familiaritatem dignationis angelicae, cavenda nobis eorum offensa, et in his maxime exercendum, quibus novimus eos oblectari; sunt enim plura, quae eis placeant et quae in nobis invenire delectat ut sobrietas, castitas, paupertas voluntaria, crebri in caelum gemitus, et orationes cum lacrymis et cordis intentione. At tamen super omnia haec unitatem et pacem a nobis exigunt angeli pacis: »* (S. Chrysost. hom. III. in epist. ad Coloss. ait: *« Si angelum habemus, sobrii simus tamquam si pedagogi quidam nobis adessent.*

Tertio, ut pro culpis nostris, quas in eorum oculis contrahimus deprecemur assidue, et cum humili pudore veniam precemur. Si enim id facimus hominibus, cum in eorum praesentia quid indecorum gessimus aut locuti sumus, quanto magis faciendum angelis custodibus?

V. Solerter audiendi sunt cum nos ad bonum ducunt. Ita monet Deus, Exod. XXIII. *Observa et audi vocem ejus, nec contemnendum putes, quia non dimittet cum peccaveris, et est nomen meum in illo*, (Chald. habetur: In nomine meo est verbum illius) quasi diceret: *Quidquid praecipit, meo nomine praecipit. Primo ergo audiendi sunt, quia quae monent, Dei nomine monent.*

Secundo, quia rebelles tandem desinent monere. Sic enim dicunt apud Jeremiam, cap. LI. *Curavimus Babylonem et non est sanata, derelinquamus eam. In quem locum scribit Origenes, animam, quae in vita correptiones angelorum contempsit, deseri ab iisdem in agone mortis, cum undique a morbo, mundo, carne, demonibus impetit maximeque imbellis et infirma est ad resistendum: Sicut medicus, inquit, derelinquit agrum, de cujus curatione desperat, ne inter manus suas expirans, causam interitus ejus ad se retorqueat; sic minatur Deus, Isa. V. vinea ingrata: *Auferam sepem ejus et erit in direptionem, diruam maceritiam ejus et erit in conculcationem, et ponam eam desertam, etc.**

Qua de re audi Origenem, hom. XX. in cap. XXV. Num. *« Si homo (inquit) non acquiescit munitis angeli, qui sibi deputatus est ad salutem,*

auferetur maceria ejus et erit in conculcationem. Quod si princeps meus, angelum dico, qui est mihi consignatus, commonuit me de bonis, et locutus est in corde meo, sed ego contemptis ejus monitis et spreto conscientiae retinaculo, præceps in peccata corruui, duplicabitur mihi pœna vel pro contemptu monitoris vel pro facinore commisso.» Sane Joannes Carera societ. Jesu, tametsi vir eximiae sanctitatis, qui horis antelucanis excitari solebat ab angelo, cum aliquando languore victus, non illico surrexisset, beneficio illo angeli ad plurimos dies privatus fuit, histor. societ. lib. XI, numer. LXVI.

Tertio, quia refractarios illos accusabunt in judicio tamquam maximi eorum hostes.

VI. Imitandi sunt, quoad possumus, hoc enim in peculiarem eorum honorem cedet: si ipsis nos accommodare studuerimus. Ergo primo, sicut ipsi custodiunt nos et promovent ad cœlum: ita et nos studeamus servare et cœlo transcribere proximos nostros, eos præsertim quorum cura ex officio nobis incumbit. Unde Sanctus Chrysostomus, in cap. I. epist. ad Hebr. ait: «Hoc est angelicæ functionis officium, ad salutem hominum ministerium Deo persolvere; proinde est opus angelicum, omnia facere pro salute proximorum, magis autem hoc est opus Christi.»

Secundo, sicut angeli in animarum sibi commissarum custodia omnem quidem diligentiam præstant, sed, eventus quicumque sit, nihil de tranquillitate vel beatitudine sua deperdunt: sic in juvandis proximis omnem quidem operam adhibere debemus; cæterum si minus proficimus, nihil inde perturbari. Hac in re imitandos esse angelos monuit Sanctus Ignatius Loyola Joannem Baptistam Violam, ut in hist. societ. lib. XIII, n. XVIII, t. I.

Tertio, sicut ipsi dum nos custodiunt, semper interim vident faciem Patris cœlestis: sic etiam et nos dum variis negotiis distinemur interim Deum nobis præsentem contemplemur, vel crebro saltem oculos ad ipsum elevemus. Deinde, assiduis suspiriis Deum requiramus, et quasi mox venturum, a longe avidis oculis contemplemur. Talis angelis fuit Sanctus Antonius, qui sæpe per integram noctem eodem vestigio stans cœlum et per cœlum contemplabatur Deum.

Quarto, sicut angeli semper vigilant operique Dei intendunt, semper se occupant et omnia considerant: sic vita mortalium sit vigilia et continua et operatio mortisque expectatio, juxta monitum Salvatoris: *Vigilate*, Marc. XIII.

Quinto, sicut angeli paucissimis indigent (non enim egent victu et amictu, non somno, non equo vel curru, non pecunia, non domo, non

lecto, non suppellectile) ita nos quoque paucis contenti simus: *Sciamus* cum apostolo ad Phil. V. *abundare et penuriam pati*, ut possimus dicere cum Socrate nudinas contemplante: *Quam multis ipse non egeo?* In hac re imitandos angelos scribit S. Chrysostom. hom. LXXIX. in Joan. t. III.

CONCIO VI.

EXPEDITIONES SANCTI MICHAELIS.

I. Prælium cum Lucifero. — II. Altercatio pro sepulcro Moysis. — III. Concertatio cum angelo Persarum. — IV. Pugna cum dracone in die judicii.

THEMA.

Quis putas major est in regno cœlorum?
Matth. XVIII.

Omnibus quidem angelis maxime custodibus vehementer obstricti sumus, ut eis amorem, venerationem ac preces nostras dederamus: præ cæteris tamen adstringimur Sancto Michaeli. Primo, quia Ecclesia credit eum suum esse præpositum, qui olim fuerat synagogæ ut patet Daniel X. et XII. ex quo synagoga transiit in Ecclesiam. Eadem enim est Ecclesia, quæ ante Christum fuit in Judæis, et quæ nunc est in Christianis. Quis autem neget supremum Ecclesiæ, (post Deum) præpositum et communem tutelarem, majori obsequio et cultu dignum esse, quam cæteros privatos singulorum custodes? Secundo, quia multa sunt argumenta admodum probabilia, quæ ostendunt Michaeli esse principem omnium angelorum, qui post casum Luciferi in veritate perstiterunt: siquidem Scriptura eum ducem et principem angelorum facit, sicut ducem militum. Quis autem nescit ducem exercitus majorem jure obtinere nominis celebritatem et honorem, quam subjectos ejus milites? Denique, quia præclarissima quoque prælia et certamina in ss. litteris Michaeli assignantur: ex quibus ejus gloria et virtus præcellentior aliis, facile deprehenditur. Unde hodie in officio Ecclesia de eo canit: *Multa magnalia de Michaeli archangelo, etc.* quæ causa sunt, cur hodie Ecclesia, cum in genere quidem omnium ss. angelorum festum celebret, speciatim tamen et nominatim S. Michaelis. Quales vero expeditiones S. Michaelis sint videamus.

Refert Sixtus Sennensibus, lib. I. bibliothecæ, ex quibusdam Hebræis, Judam Matthathie filium, cum adversus Antiochum Judæorum hostem præliaturus esset, dedisse militibus suis ceu belli tesseram, sententiam illam Moysis, Exod. XV.

Quis sicut tu in fortibus Domine? Hebraice: *Mi chamocha bealim Jehova?* jussisse vero Judam ejus sententiæ initialia verba inscribi singulis vexillis, videlicet M. C. B. I. (quo modo Romani scribebant S. P. Q. R. senatus populusque Romanus) pro certo confidens, quod in hoc symbolo superaturus esset omnes Dei hostes. Ex quo symbolo Judas dictus est Macchabi, id est, Macchabæus: formato scilicet nomine ex quatuor illis initialibus litteris. Simili eventu videtur sanctorum angelorum principi datum hoc nomen *Michael*, quod Latine sonat: *Quis ut Deus?* Hanc enim militarem tesseram gessit Michael in omnibus suis certaminibus, eamque angelis cæteris velut militibus suis assignavit, ut videlicet conarentur propugnare honorem Dei contra quosvis adversarios. Et quemadmodum Judas Macchabæus honoris Dei insignis zelator virtute symboli sui, maximas obtinuit de hostibus Dei victorias: sic etiam S. Michael virtute symboli sui, ut ex illis, quas in sacris litteris suscepisse legitur, expeditiones constabit.

I. Prima ejus expeditio fuit quam suscepit creationis mundi, et angelorum die contra Luciferum ejusque socios perduelles; de quo scribit Isai. cap. XIV. *Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer, qui mane oriebaris? Corruisti in terram qui vulnerabas gentes? Qui dicebas in corde tuo: In cœlum conscendam, supra astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti in lateribus aquilonis. Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo.* Hanc intolerandam Luciferi temeritatem et superbiam Deique summi contumeliam, non ferens Michael, acerrimus nimirum honoris Dei propugnator, illo suo symbolo (*quis ut Deus?*) cœlestium spirituum agmina accendit et mox in hostem movit, eumque cœlo exturbavit et ad inferos demersit, sicut testatur Sanctus Joannes, Apocal. XII. (juxta communem theologorum expositionem cum magistro sentent. in distinct. VI. Divus Thomas (1. p. quæst. LXIII. art. VIII.) cum ait: «Factum est prælium magnum in cœlo, Michael et angeli ejus præliabantur cum dracone, et draco pugnavit et angeli ejus, et non valuerunt neque locus inventus est eorum amplius in cœlo. Et projectus est draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur diabolus et Satanas, qui seducit universum orbem. Et projectus est in terram et angeli ejus cum illo missi sunt.» Sic Joannes. Igitur Michael quasi acutissima hasta Luciferum confodit dicendo: *Quis ut Deus?* et tunc omnes cœlestes spiritus Lucifero exprobrarunt id, quod Isaias dixit: *Quomodo cecidisti Lucifer etc.* Tunc, ut Joannes subdit, omnes magna voce in cœlocebant: *Nunc facta est salus et virtus et regnum*

Dei nostri, etc. et de hoc Luciferi casu dixit Dominus, Luc. X. *Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem.* Pro quo sciendum angelos in primo instanti fuisse viatores et liberos ad bonum et malum amplectendum. Quorum quidam duce Lucifero se superbe erexerunt, et inordinate appetierunt beatitudinem suam, dum nimirum appetentes sibi beatitudinem naturalem, de supernaturali non cogitarunt, atque ita ad illam se non ordinarunt, vel appetentes beatitudinem supernaturalem non cogitarunt de divino auxilio, ad eam consequendam necessario, atque ita interpretative appetierunt Dei similitudinem. Contra hanc temeritatem consurgens Michael cum angelis suis pugnavit contra Luciferum, dum superbiam illius detestatus est, et se Deo suo subjecit, indeque quasi ex commissione a Deo accepta adversarium deturbavit. Possumus hoc intelligere exemplo illius commissionis, quæ serenissimo duci Bavarie commissa est veluti capti fœderis catholici, ab imperatore contra Fridericum Palatinum, qui contra imperatorem se erexerat, etc. qui dux quoniam insigni zelo imperatoris honorem defendit, ideo expulso de imperio Friderico merito ab imperatore in locum illius evectus et elector factus est, quomodo Michael in locum Luciferi, princeps omnium angelorum factus est. Qua in re cernimus ferventissimum Michaelis zelum pro honore Dei: siquidem ipse primus vexillum hoc erexit et palam exclamavit: *Quis ut Deus?* ac proinde merito princeps omnium angelorum constitutus creditur. Quemadmodum enim Sanctus Petrus maximum ostendit fervorem præ omnibus discipulis, cum interrogante Domino, Matth. XVI. *Vos autem, quem me esse dicitis?* ipse præ omnibus respondit: *Tu es Christus Filius Dei vivi:* et in Oliveto, cum capto Domino ipse eduxit gladium, et percussit unum e comprehensoribus, ideoque merito princeps apostolorum et Ecclesiæ a Domino constitutus est. Sic videre etiam est in Michaeli: cujus exemplum certe imitari debemus, quoties in nobis vel in aliis aliquid advertimus, quod Dei honori adversatur. Quoties ergo exurgit in corde tuo superba cogitatio, dicito: *Quis ut Deus?* Quoties audis quempiam blasphemantem, vel alia mala patrantem, etc. dicito: *Quis ut Deus?* Placebit Deo hic zelus, et magnam merebitur laudem, quemadmodum Michaeli ea ipsa verba, quibus honorem Dei propugnavit, pro nomine remanserunt ad ipsius gloriam.

II. Secundo, expeditio illius erat, quam rursum suscepit contra dæmonem propter sepulcrum Moysis: de qua Sanctus Judas, in epistola sua can. ait: *Cum Michael archangelus cum diabolo disputans altercetur de Moysis corpore, non est au-*

ius iudicium inferre blasphemix; sed dixit: Imperet tibi Dominus. Hæc Judas. Hujus vero altercationis variæ redduntur causæ ab interpretibus. Oecumenius ait: « Dicitur Michael ministerium præbuisse in sepeliendo Mose, id non ferebat diabolus, sed accusationem afferebat, Mosen indignum esse sepultura, eo quod occidisset Ægyptium, eumque sepelisset in sabulo, et propterea non permittebat, ut honorificam consequeretur sepulturam. » Hæc Oecumenius. Aliam causam fuisse altercationis putat Nicolaus Serarius in eum locum, quod diabolus coleretur in Phogor vicino loco, ideoque eum non tulisse juxta se reponi corpus tam sancti viri qualis erat Moyses, ac timuisse, ne ab ipso vel loco pelleretur vel obmutescere cogeretur quemadmodum apud Matthæum, cap. VIII. similem ob causam clamabant contra Christum dæmoniæ seu dæmones potius: *Quid nobis et tibi Jesu Filii Dei? Venisti huc ante tempus torquere nos?* Denique, communiter assignatur illa causa: quod cum Deus voluerit Moysen ab angelis occulte sepeliri et nesciri ab hominibus ejus sepulcrum, ut habetur Deuter. XXXIV. ne Judæi ad idololatriam proni illum pro Deo colerent: tandem diabolus voluerit Judæis revelare et indicare sepulcrum Moysis, ut sic ad idololatriam eos pertraheret. Hoc ergo ne fieret adeoque ne Judæorum salus et Dei honor periclitaretur, in campum descendit Michael explicatoque vexillo suo *Quis ut Deus*, diabolum impedivit et a sepulcro repulit: atque ita Dei honorem strenue propugnavit, cum idololatriam impedivit. Unde rursum:

Patet primo, quantum erga Dei honorem zelum gesserit, docens nos ut omni quo possumus modo impediamus Dei offensam.

Secundo, ex hac altercatione Michaelis ostenditur ejus reverentia erga divinum nomen, dum: *Non est ausus diabolo iudicium inferre blasphemix*, verbi gratia, dicere: *Disperdat te Dominus*, vel quid simile, sed tantum dixit: *Imperet tibi Dominus*. Quod si supremus angelus non fuit ausus maledicere diabolo, metuens ne qua ratione per ejusmodi maledicentiam Deus offenderetur, qua fronte audeat frater fratri maledicere?

III. Ostenditur in hoc facto, sollicitudo Sancti Michaelis pro animabus sibi creditis, a quibus offendiculum lapsus tam serio removebat, non sine altercatione. O si nos vicissim ita fugeremus scandala et occasiones peccati, quomodo custodes angeli eas amoveant?

Tertia est non tam pugna aut expeditio, quam amica quædam concertatio seu potius executio divinæ voluntatis contra angelum Persarum bonam, facta pro liberatione Judæorum e captivi-

tate Babylonica. De qua legimus Danielis, capite X. cum enim Daniel lugeret ob captivitatis prolongationem et pro liberatione Deum oraret, apparuit ei Gabriel angelus et dixit: *Exaudita sunt verba tua, et ego veni propter sermones tuos: princeps autem regni Persarum restitit mihi viginti et uno diebus, et ecce Michael unus de principibus primis venit in adjutorium meum, etc.* Pro quo sciendum angelum Persarum, seu qui Persidis provinciæ præerat, bonum fuisse, eumque contempsisse, ut Judæi detinerentur in captivitate Babylonica, tum quod ipsi his malis meliores fierent, dante vexatione intellectum: tum quod eorum consuetudine multi ex Persis relicta idololatria ad veri Dei cultum perducerentur. Contra Gabriel Hebræorum angelus præses eorum liberationem urgebat justissimas ob causas: tum quia ob Persarum consuetudinem multi Judæorum pervertebantur, et ad idololatriam pellicebantur, et ita veri Dei cultus periclitabatur: tum quia inter Hebræos captivos plurimi erant sanctitate præstantes, uti Daniel et alii, qui tam diuturnam servitutem non meruerant: denique, quia opus erat Deum stare promissis, qui videlicet pollicitus fuerat eam captivitatem, non amplius quam septuaginta annis duraturam, Jeremiæ capit. XXIX. quod tamen tempus jam effluerat. Quam causam urget Zachariæ cap. I. Angelus dicens: *Domine exercituum, usquequo tu non miseraberis Jerusalem et urbium Juda, quibus iratus es? Iste jam septuagesimus annus est, quasi diceret: Cum jam effluxit tempus præstitutum, oportet jam impleri promissionem. Et hæc sancta et fraterna honorum angelorum contentio, qua quisque pro sibi creditis animabus sollicitus erat, duraverat viginti unis diebus, dum scilicet eis divina voluntas nondum erat explorata: fiebat autem non armis, sed rationibus et orationibus, quas pro suis quisque alligabat apud Deum. Quia tamen Hebræorum angelus meliorem tuebatur causam, quæ magis faciebat ad Dei honorem: in sententia vero angeli Persarum periclitabatur Dei honor, si Judæi ad idololatriam perverterentur, ac præsertim si Dei promissio non impleretur, et inde reges Persarum vero Deo insultarent, quasi non posset de manibus eorum liberare populum suum: idcirco Michael venit in adjutorium Gabrielis sive allegando coram Deo pro illo, sive exequendo divinæ voluntatis decretum ad liberandum e captivitate populum: idque suo solo symbolo *Quis ut Deus?* Itane decet ut ab Hebræis in captivitate ficti adorerentur dñi: *Quis ut Deus?* Itane Deus noster falsitatis et impotentix arguetur, quasi non velit aut possit præstare id quod prædixit: *Quis ut Deus?**

Unde colligitur primo, Sancti Michaelis dignitas et potestas, qui nimirum soleat ad reliquos inferiores angelos currere, et cujus ope etiam Gabriel indiguerit.

Deinde, sollicitudo pro populo suo, ne is seduceretur a gentibus et diutius premeretur in servitute.

IV. Quarta expeditio omnium maxima et celeberrima a Michaele suscipienda erit in die iudicii, quando pugnabit cum dracone et angelis ejus omnibusque reprobis eosque dejiciet in infernum; de quo ad litteram intelligendum est id, quod Joannes, capite XII. scribit et supra recensui. Videtur enim ibi Joannes utrumque hoc prælium, primum scilicet et ultimum Michaelis contra Luciferum eodem schemate depingere, utpote similia, voluisse. Dum enim dicitur in cælo prælium id perfectum esse, sumi potest tam pro cælo empyreo, quam pro Ecclesia, et exponi tam de præterito quam de futuro, juxta morem Scripturæ. Igitur tunc pugnabit Michael et angeli ejus boni, velut ejus milites, cum dracone et angelis ejus, et non valebunt isti, neque locus eorum invenietur amplius in cælo, id est, in Ecclesia, et projicietur draco in terram ad inferos: et tunc plene cantabunt omnes sancti: *Nunc facta est salus et virtus et regnum Dei et potestas Christi ejus, quia projectus est accusator fratrum nostrorum.* Et de hoc eodem prælio locutus est ad Daniellem Gabriel angelus, Daniel. XII. cum ait: *In tempore illo consurget Michael princeps magnus, qui stat pro filiis populi tui et veniet tempus, quale non fuit ab eo, ex quo gentes esse ceperunt usque ad illud.* Ubi archangelus prædicat Michaelem tamquam Ecclesiæ totius præsidem, rursus in campum descenditurum pro fidelium defensione, imprimis vero pro divini nominis honore, quem sibi impudentissime vindicabit antichristus, tuendo, eaque omnia peracturum, quæ ex Joanne audivimus; unde is locus Joannis, hunc Danielis explicare videtur. Tunc Michael velut omnium prædestinatorum signifer explicabit vexillum suum, et cum sanctis omnibus clamabit: *Quis ut Deus? Et tunc revelabitur ille iniquus, ut inquit apostolus, II. Thess. quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui.* Quo loco D. Thomas, per spiritum oris Domini intelligit Michaelem, qui velut spiritus et turbo ab ore iudicis Christi reprobos condemnantis, procedens irruet in adversarios Dei, eosque in infernum demerget. Denique, hominis obitu particularem suscipit expeditionem, ad exequendum divinum decretum circa animam, quæ judicatur, ut illam vel in cælestibus locet sedibus pro cujusque merito, vel ad inferos detradat. Si enim universali iudicio pug-

nabit pro Deo et fidelibus contra draconem, et exequetur Dei iudicium: cur non item in particulari cujusque? Sic enim de illo canit in hodierno officio Ecclesia: *Archangele Michael constitui te principem super omnes animas suscipiendas: et in missa pro defunctis Ecclesia orat: Ut signifer Sanctus Michael repræsentet eas in lucem sanctam.* Hocque indicat vetusta illa Michaelis imago, qua pingitur dextera manu evaginatum stringens gladium, sinistra vero tenens libram, in cujus una lance anima, in altera diabolus sedet. Quæ imago non indicat Michaelem esse ipsum animarum iudicem, sed vel præsentare animas ad iudicium, vel esse executores divinæ justitiæ: si anima sit justa, diabolum feriat; si peccatrix, ipsam. Cujus rei figura fuit angelus ille (idem ipse Michael tamquam præpositus synagogæ) qui Balaamo in angustia duarum maceriarum obstetit stricto gladio, quando asina sub propheta corruit, Numer. XXII. Corruet enim aliquando asina corporis nostri et obviabit nobis Michael inter angustias duarum maceriarum, hoc est, inter spem gloriæ et metum gehennæ, seu inter temporalem et æternam vitam, ubi regredi non licebit, progredi terribile erit? Ibi inquam obviabit nobis stringens gladium sive contra animam, si rea inventa coram Deo fuerit, sive contra accusatorem diabolum, si injuste eam accusaverit. Igitur cum Ecclesia in hodierna missa dicamus: *Michael dux in prælio, adsis nobis in tremendo iudicio, etc.*

CONCIO VII.

DE SS. ANGELORUM PERFECTIONE, ET NATURA IMITANDA EX EORUM PICTURIS TRACTATA.

I. Angeli pinguntur forma humana. — II. Specie virili. — III. Forma juvenili. — IV. Nudo capite. — V. Crispis capillis. — VI. Alis. — VII. Candido vestitu. — VIII. Discalceati.

THEMA.

Angeli eorum semper vident faciem Patris mei.
Matth. XVIII.

Nota nobis est utique historia illa Genes. XXVIII. ubi vidit Jacob in somnis scalam stantem super terram et cacumen illius tangens cælum: angelos quoque Dei ascendentes et descendentes per eam. Quid vero hæc visio significet, Tertullianus, lib. III. contra Marcionem docet: *Scala hæc, inquit, est via, qua justis ascensiones in corde suo disponunt in cælum.* Hinc etiam Barlam ad Josaphat, apud Damasc. in histor. cap. XX. ait: *Virtutes*

quasi scalæ quædam cæli sunt. Hujus duo latera, fides sunt et bona opera, gradus virtutes sunt, ascensus vita contemplativa, descensus activa. Sed qui sunt, qui per hanc scalam scandunt? Justi utique qui ut ad Deum et superos venire queant, angelorum induere virtutes et perfectionem debent. Sic enim etiam Christus Dominus, Matth. XXII. de electis in cælo ait: *Erunt sicut angeli in cælo*. Quod si in cælo inter angelos versari, ad eorum choros acceptari, et esse instar angelorum volumus, justum est ut angelorum virtutes et naturam, quantum fieri potest, imitemur in terris. Videamus ergo nunc, quales angeli sunt, ut videre possimus quales nos esse debeamus.

Angelorum perfectionem ex picturis eorundem licet intelligere.

I. Pinguntur humana facie et forma, quia in ea sæpius apparere. S. Thomas, I. p. q. LI. art. II. forte ut sic amorem erga nossum explicarent, et reciprocum a nobis erga se exigent; similitudo enim amorem causat. Qui alicui duci pugnant in subsidium veniunt, ejus librea seu colore armorum amicti veniunt, ut amici agnoscantur. Similiter sancti angeli, quia in subsidium nostrum missi sunt, vestibus se nostris, nostra se librea induunt, ut sic intelligamus eos amicos esse nostros: *Et in ministerium missos propter eos, qui hereditatem capiunt salutis*, ut ait S. Paulus ad Hebræos I. Angeli esse debemus; quoties proximum nostrum periclitantem vel in adversitate constitutum videmus; et hoc quanto æquius quam angeli? Sunt illi sublimioris naturæ, quam nos simus, nobis nihil obligati, nihil a nobis accipiunt mercedis, et tam sedulo nobis succurrunt; nos qui natura et fide pares sumus proximis non subveniamus? Magnam profecto dedecus erat illius sacerdotis et levitæ, qui cum esset secus hominem illum Judæum vulneratum a latronibus, Lucæ X. *Viso tamen illo præterierunt*: si consideretur præsertim Samaritanus, qui cum esset alienigena, venit tamen secus illum et curam illius egit. Et non tibi dedecus, cum in judicio tibi legetur, quomodo tu præterieris proximum tuum in afflictione jacentem; cum angeli tamen alienigenæ eum collegerint?

II. Virili specie (uti apparuerunt Lucæ IV.) ob naturæ perfectionem et fortitudinem excellentem. A parte rei, sexus nullus est inter angelos, sed virilis tantum animus non muliebris. Quam se viros præstiterint sancti angeli præsertim in vindicandis Dei sui injuriis vel exinde satis patet, quod IV. Regum XIX. unicus angelus ob blasphemiam Sennacherib, centum octoginta quinque millia Assæriorum occiderit. Ejusmodi viros

præstare se deberent Christiani, ii maxime qui potestate aliqua sunt præditi, adeoque suo modo angeli sunt et directores aliorum; nimirum scelera publica sibi subjectorum maxime audacter arguere et graviter castigare. Quid enim sentias de satellite, qui patiatur fures aut sicarios intrare in cubiculum regis sui, qui non audeat oblatrare nec eos expellere? Num tu virum illum existimabis? Passus id erat Abner dux Saulis, Davidem scilicet hostem, intrare ad specum domini sui et auferre illi scyphum et hastam, I. Regum XXV. Quod exprobrat ei David inquit: *Numquid non vir tu es? Et quis alius similis tui in Israel? Quare ergo non custodisti dominum tuum regem? Ingressus est enim unus de turba ut interficeret regem dominum tuum. Non est bonum hoc quod fecistis: Vivit Dominus quoniam filii mortis estis vos, qui non custodistis dominum vestrum christum Domini*. Quot homines mali sunt, qui passionem Christi inhonorant, conviciantur? Numquid vir est, qui hoc patitur? Vivit Dominus quia filii mortis sunt.

III. Juvenili forma et imberbes (illa enim forma apparuerunt, uti Marci ultimo) ob naturæ speciositatem et fulgorem nunquam senescentem, semper florentem et quia angeli, quæ volunt, immobiliter volunt, nec mutant consilia et proposita, quæ semper et necessario bona sunt et voluntati divinæ conformia. Hujusmodi juvenis erat Caleb qui in senectute sua octoginta quinque annorum fatetur se æque valentem esse ac semper fuisse atque in juventute cum esset quadraginta annorum, Josue XIV. Idque merito ei concessit Deus, quia constanter se gessit in commendatione terræ promissæ: licet enim fratres ejus dissolverent cor populi, nihilominus tamen secutus est Dominum Deum suum, ut ibi ait de se ipse. Pauci tales Caleb, plures, qui incipientes progredi in terram promissam, difficultate terribili retrocedunt: similes cancri qui modo obstaculo animadverso resiliunt. Tales Israelitæ reliqui in deserto, Ægyptum repetentes: talis Salomon, qui optime cœpit: *At cum jam esset senex, depravatum est cor ejus per mulieres ut sequeretur deos alienos*, ut dicitur III. Regum X. Hic accedunt gentiles imperatores: Nero, qui initio imperii optimam ostendit indolem, graviora vectigalia aut abolevit aut minuit, cumque supplicii capite damnatorum ex more subscribere monebatur dicebat: *Quam vellem nescire litteras!* teste ejus præceptore Seneca, libro II. de clementia, postea vero sævissimus tyrannus et in gentiles et in Christianos effectus est: Domitianus initio ab omni abstinent crudelitate et optimas leges sanxit; a cæde ita abhorruit, ut edicere destina-

verit, ne boves immolarentur, teste Suetonio, postea vero sanguinem tam civium quam Christianorum sitivit, et persecutionem in hos movit. Severus imperator initio favit Christianis, postea in eos rescriptum dedit. Similiter Antonius ejus filius, a pueritia mitis, adultior truculentus factus est, ut in Baronio.

IV. Aperto capite ob reverentiam erga Dei majestatem quam semper intuentur, semperque reverentur, propterea etiam nunquam in cælo sedere sed stare tantum et assistere vel cadere dicuntur, a Scriptura veluti Apocal. VII. ubi dicitur: *Et omnes angeli stabant in circuitu throni, et ceciderunt in conspectu throni in facies suas, et adoraverunt Deum*. Si cum homine angelum comparemus, tanto perfectior et splendidior est illo, ut ejus majestate territi viri etiam sanctissimi ad terram ex timore prostrati fuerint. Ita enim Daniel, cap. X. audiens loquentem sibi angelum: *Emarcui nec habuit quidquam virium, et jacebat consternatus super faciem suam*: similiter Joannes, Apocal. XXII. *Cecidit ante pedes angeli ut adoraret eum*. Quod si tanta est majestas unius angeli ut cadant ante eos viri sanctissimi, quanta erat majestas Dei ante quem cadunt angeli? Quanta igitur reverentia, quanto timore, quanta humilitate accedere debet: *Ad Deum procedens e palude sua et repens ranuncula vilis*, ait Sanctus Bernardus, serm. de quatuor. modis orandi, quid diceremus, si videremus in aula regis omnes aulicos nudo capite ante regem prostratos eum revereri, rusticum vero aliquem inter eos sedere tecto capite? S. Chrysostom. lib. VI. de sacerdotio scribit, senem quemdam venerabilem vidisse sub officio missæ angelorum multitudinem altare circumdantium, atque sic capite inclinatum, ut si quis milites præserte rege videat. Discant hinc Christiani qua religione in templo versari debeant.

V. Crispis capillis, ob perfectionem cogitationum, quam omnes in Deum ejusque gloriam sursum reflectunt. Etsi enim in terris versantur custodes nostri et alia agere videntur, Deum tamen semper vident et cor in Deo fixum habent, omnesque actiones suas in eum referunt. Simili modo nos cogitationes nostras semper in Deum reflectere deberemus, licet cæ interdum circa res creatas versentur. Certe multi canes sunt, qui captam multo cursu prædam ad Domini pedes modicus apprehensam ferunt. Tales sunt sancti angeli, qui in anima una capienda tota ejus vita occupantur, et deinde sibi attribuunt nihil, sed animam comprehensam in Dei sinu gestant, Deo acceptam ferunt. Id quod eorum nomina indicant: Raphael, *medicina Dei*; Gabriel, *fortitudo*

Dei; Michael, *quis ut Deus?* seu *humilitas Dei*. Non vocantur fortitudo mea, vel quis sicut ego? Simili modo sive quid agimus boni, sive accipimus, omnia Deo accepta referamus, et instar seniorum illorum coronas nostras ad Dei pedes jacciamus, Apoc. IV.

VI. Alati, sic enim Isaia VI. visi sunt: propter naturæ subtilitatem, juxta Chrysost. hom. III. de incompreh. Dei nat. vel propter velocem in cuncta discursum juxta Hieronym. in cap. VI. Isaia: vel quia velocissime Dei mandata exequantur, juxta Paulinum, natal. VIII. et Dionys. de cæl. hierarch. cap. XV. Pulchre hanc angelorum promptitudinem describit David, Psalm. XIII. dicens: *Qui facit angelos suos spiritus*. Quæ verba paraphrastes Chaldaicus sic reddit: *Qui facit angelos suos veloces sicut ventum*. Non male, sic enim et venti pinguntur, tamquam angeli alati spirantes. Ut enim ventus nihil aliud est quam exhalatio a nube depulsa, regionem aëream et nostram celerime pervadens: ita et angeli a Deo ad nos missi: omnia celerrime pervadunt et perficiunt, ac si a Dei mandato depulsi essent. Sed nec male dixerim, si canibus venaticis, qui nobis etiam venti (*Wind*) vocantur comparaverim. Ut enim isti non egent stimulatione, qua ad leporem persequendum incitentur, seu sufficit illis monstrari feram; illico enim post eam summo feruntur impetu: ita se res habet cum sanctis angelis. Ad terram enim veluti ad venationem magna sua delectatione descendunt, et sufficit illis monstrari a Deo occasionem quampiam venandi animam: sic enim ultro et maximo ad nos descendunt desiderio. Hinc aiunt de zizaniis: *Vis imus et colligimus ea?* ultro sese offerunt ad divinas expeditiones. Utinam et nos angeli, et tales essemus canes, qui Dei voluntati tam prompte obediremus, ut coactione non egeremus! Ejusmodi servos habebat David, cum II. Regum XXIII. desideravit aquam sitiens de cisterna Bethlehem dicens: *O si quis mihi daret potum aquæ de cisterna quæ est in Bethlehem!* neminem tamen eo mittere audent, propter stationem Philistinorum ibi morantem: statim enim irrumpunt tres fortes castra eorum et tulerunt aquam regi. Multa desideravit Christus, quæ petere vel præcipere noluit. Inter alia, Matth. VIII. desiderat locum ubi requiescat: *Vulpes foveas habent, et volucres cæli nidus, Filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet*: item Marc. VIII. desiderat esurientibus cibum: *Non habent quod manducant*. O charissimi quam magnam prædam venari possitis? Quam sæpe vobis ostenditur occasio prædandi? Quoties templum aliquod desertum et egenum videtis; ecce Filius hominis, non habet ubi caput reclinet.

net : quoties pauperem familiam, ecce non habent, quod manducent. O si quis daret mihi potum aquæ! Annón igitur ultro curramus et volumus? Christus certe intellecta tantum necessitate nostra statim præsto fuit et succurrit, ut eum audiit: *Vinum non habent: et: Ecce quem amas infirmatur, cur ergo non faciamus nos hoc et ipse?*

VII. Candidis vestibus ad designandam naturalem eorum puritatem, juxta Gregor. Nazianz. orat. XXIII. in laud. Hieron. vel etiam ad designandum eorum candorem et sinceritatem. Candor enim sinceritatem dicit, ut ideo veteres Romani candidis vestibus ire ad convivia. Quo candore pollent angeli naturaliter, quia uti substantiæ simplices sunt, non compositæ, ita nesciunt aliter apparere et aliud esse, vel simulate quidquam agere. Erat hic candor olim ita ingenuus Germanis ut Germane et candide agere idem esset apud exteras nationes. Sed non apparent amplius hæc vestes in quam multis. In usu nunc habetur vestis Mezolana a peregrinis nationibus adducta, cum tamen Deus præceperit, Deut. XXII. *Non induetis vestimento, quod ex lana ino- que contextum est.* Vestis autem illa extra lanam, id est, simplicitatem operis: intus linum, id est, malitiæ subtilitatem continet, sicut explicat S. Gregorius, l. VIII. mor.

VIII. Discalceati. Hoc significat, ait Dionysius, cæl. hierarc. cap. XV. quod liberi, absoluti et expediti atque ab exterioris omnis adjectionis labe sint puri; et ad divinæ simplicitatis similitudinem pro viribus tendant. Hæc de causa jussit Deus, Exod. II. Moysi, cum eum ducem profectionis per desertum in terram sanctam constitueret, calceos exuere, quia nimirum decebat peregrinum et ad terram sanctam tendentem exuere curas et sollicitudines terreas. Omnes nos peregrinamur in hoc deserto et ad terram sanctam tendimus. Sicut ergo terra promissa typus cælestis patriæ fuit, ita et solutio illi calceamenti Moysi mandata, typus est solutionis et libertatis spiritualis, qua pedes, id est, affectus nostros ab omni mortuo et terreno vinculo expedire, et ad iter nostrum aggrediendum præparare debemus. Moyse in deserto mortuo, postquam Josue ejus successor cum populo terram promissionis ingredi cœpit, Josue VI. tunc vidit virum contra se stantem evaginatam habentem gladium, qui Michael fuisse creditur, (ut ibi Lyra. probati.) Cui Josue: *Noster es, inquit, an adversariorum?* Et ille: *Nequaquam, id est, nec vester nec adversariorum, (ut ibi Hugo card. exponit.) sed sum princeps exercitus Domini:* et subjungit. *Solve calceamentum tuum de pedibus tuis, quasi diceret: Si vis, ut sim amicus tuus, solve calceamentum, etc.*

Obstabit et nobis in articulo mortis vel Michael vel angelus aliud judicium particulare peracturus evaginato gladio. Væ tibi si in agone adhuc habeas opera mortua, bona aliena, affectus pravos. rancorem, etc. quid enim hæc nisi turpissimi calcei coram Deo? Nolumus igitur judicem illum invenire nostrum et amicum, non adversarium, solvamus hic calceamentum et liberamus animos nostros ab omni pravo et carnali affectu erga creaturas.

CONCIO VIII.

PARVULORUM INNOCENTIA STATUITUR IN
EXEMPLUM CHRISTIANIS.

I. Immunes a superbia. — II. Ab avaritia. — III. A libidine. — IV. Ab invidia. — V. Ab iracundia. — VI. A gula. — VII. Ab acedia.

THEMA.

Nisi conversi fueritis et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum. Matth. XVIII.

Sagittariis et sclopetariis proponitur in medio tabulæ, vel parietis denigrati circulus exiguus, et candidus pro scopo ad quem jaculantur. Idem hodierno in evangelio facit Christus Dominus. Volentibus enim intrare per angustam cæli portam, adeoque jaculaturis ad scopum æternæ felicitatis, proponit et statuit in medio discipulorum suorum scopum candidum nimium quantum exiguum, parvulum, inquam, innocentissimum et moribus candidissimum, ita ut, si ab hoc scopo aberremus, a regno cælorum excidamus. Proponit, inquam, nobis primam nostram innocentiam et vestem illam candidam, quam suscepimus in baptismo, et retinimus in pueritia, postea vero omnes perdidimus. Res ardua, auditores, periculosus ludus, necessario tamen subeundus. Id enim confirmat regius psalter, Ps. XXIII. cum ait: *Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto ejus? Innocens manibus et mundo corde.* Vides quoniam et hic requirit innocentiam et omnimodam munditiam. Itaque attendat sibi unusquisque quomodo jaculetur et scopum hunc attingat. Atque ut cautius jaculemur, examinemus prius scopum nobis præfixum, parvulorum innocentiam.

I. Immunes sunt parvuli a superbia. Nam primo, ditiores et nobiliores non aspernantur inferiores, sed agunt et ludunt cum illis, ac cum paribus. Tales ergo et Christiani esse debent: unde ait apostolus ad Romanos X. *Non est distinctio Judæi, et Græci: nam idem Dominus omnium, dives*

in omnes, qui invocant illum, et ad Gal. III. Non est Judæus neque Græcus, non est servus, neque liber, non est masculus neque femina. Omnes enim unum estis in Christo Jesu. Ideo olim Christiani vocabant se invicem fratres quia nimirum ejusdem matris Ecclesiæ, et Patris Christi filii, uti ad Hebræos III. ad Romanos XII. et XVI.

Secundo, non curant laudes, et vituperia, nec extolluntur de suis, quas habent, virtutibus, seu naturæ dotibus, ingenio, forma, natalibus, etc. ita apostolus I. Corinth. IV. monet, ne quis aversus alterum infletur, idque suo exemplo docet: *Mihi autem pro minimo est, ut a vobis judicer: et ad Gal. VI. Non efficiamur inanis gloriæ cupidi.*

Tertio, non querunt dignitates nec munditiam in vestibus, imo passim humi consistunt in pulvere, de vestium cultu nihil curantes. Ita Moyses adhuc puer in domo Pharaonis educatus, diadema o Pharaone sibi impositum, de capite in humum prolabi passus est, imo et pedibus conculcavit, ut scribit Josephus, libro II. antiq. capite V. Postea etiam grandis factus, negavit se esse filium filiae Pharaonis, ad Hebræos XI. Puerorum humilitatem imitatus est etiam Sanctus Hilarius episcopus Pietavorum, cum in Concilio ad sedem aliorum episcoporum non admissus, humi consedit, dicens: *Domini est terra.*

Quarto, non sunt capitosi, sed duci et reduci se patiuntur, facile et prompte obediunt. Unde Sanctus Basilius, in regul. brevior. interrogat. CCXVII. ait: « Quomodo regnum Dei accipiemus ut parvulus? Nempe si ad doctrinam Domini tales nos præbuerimus, qualis est parvus in percipiendis disciplinis, qui non contradicit, neque se disputans adversus magistros, defendit, sed tradita sibi præcepta cum fide atque obedientia suscipit. » Sic ille. Ejusmodi parvulus fuit Isaac, qui a patre ligno se onerari et ligari passus est; ad mortem postulatus aram conscendit, cervicem præbuit, ictum expectavit, nullo verbo contradicens aut querens, quamobrem id pater faceret, vel ipse commeruisset, Gen. XXII. Tales esse omnes Christianos vult apostolus ad Hebr. XIII. *Obedite præpositis vestris, ait, et subjacet eis, etc.*

II. Sunt immunes ab avaritia. Primo enim, paucis contenti sunt, non querunt arces et prædia, delectantur rebus vilibus et simplicibus, veluti equis et bobus ligneis, magis quam parentibus veris. Tales ergo sint et Christiani, uti monet apostolus I. ad Timoth. VI. *Habentes alimenta et quibus tegamur, his contenti simus: et ad Hebræos XII. Sunt mores sine avaritia, contenti presentibus.* Vincuntur alioquin a multis ethnicis, qui paucissimis contenti, læti et hilares viverunt, uti Crates, Diogenes, Socrates quorum hic, cum videret re-

rum, quæ in foro vendebantur, multitudinem, dicebat: *Quam multis ipse non egeo?* Laertius, in Socrat. Diogenes cum videret pauperem manucavam bibere e fonte, vasculum abjecit, quo prius utebatur ad hunc usum: Anacharsis Scythæ philosophus ad suos scripsit: *Mihi amictus tegmen Scythicum: calceamentum, solearum callum: cubile, terra: pulmentum, fames, etc.* Cic. V. Tusc. Quid faciant Christiani, quorum divitiæ in cælo sunt?

Secundo, fraudare, fallere et mentiri nesciunt. Idem faciendum Christianis, ut monet apostolus I. Corinth. IV. *Nolite pueri effici sensibus, sed malitia parvuli estote.* Ita veteres Christiani malebant mori, quam vel semel mentiri, ut scribit Sanctus Justinus martyr. apol. IV.

Tertio, non sunt solliciti de veste, cibo, etc. sed hæc omnia committunt parentibus, ad quos recursum suum habent, cum quia eorum deficit. Si quæras ex aliquo parvulo: *Uille tibi vestes erunt, cum has tuas attriveris?* Pecunias non habes: sarciendi artem non calles: nihil hoc perturbabit parvulum, dicet enim se habere patrem aut matrem, qui hac de re solliciti sunt. Idem nobis omnibus faciendum hortatur apostolus ad Philippenses IV. cum ait: *Dominus prope est: nihil solliciti sitis, sed in omni tempore scilicet vel negotio, oratione et observatione cum gratiarum actione petitiones vestræ innotescant, apud Deum, quasi diceret: In omni afflictione per orationem recurrite ad Deum et exponite ei vestras necessitates.*

Quarto, liberales sunt, et facile dant, etiam canibus. Ita puer ille, qui habuit quinque panes hordeaceos, statim obtulit petentibus apostolis: et Tobias junior cum esset, quidquid habere poterat concaptivis fratribus dabat, Tobie I. sic Sanctus Hermanus (qui etiam Josephus postea dictus) adhuc puer panem suum communicabat imagini pueri Jesu, cum ad scholas iret. Hunc in modum Christiani sint liberales: *Omni petenti te tribue, ait Christus, Luca VI. et qui auferit, quæ tua sunt, ne repetas.*

III. Immunes sunt a luxuria. Primo, quia carnis rebellionem nesciunt, sed eam velut mortuam gerunt, adeoque sicut angeli in carne vivunt extra carnem. Idem Christianis suadet apostolus ad Colos. III. *Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram: fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, etc.* Licet vero canis ille non nunquam se erigat, et latret, satisfaciet Christianus, si mox illum coercere virga et compescere studeat.

Secundo: *Parvulus videns pulchram mulierem non delectaretur, ait S. Hieronymus, in cap. XVIII. Matth. ita oculi Christianorum simplices et casti*